



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exetasis Testimoniorvm, Qvae Martinus Bucerus ex  
Sanctis Patribus, non sanctè edidit**

**Gardiner, Stephen**

**Lovanii, 1554**

Hieronymus contra Iovinianum, Lib. 5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29410**

vt iam non liceret etiam si liberet, & ex hoc firmius non liberet, ne fieret quod non liceret, quod factum non est, etiam cum liceret, tantaque merereris vidua Christi, vt filiam quoque videres virginem Christi. Dum enim tu oras, sicut Anna, facta est illa, quod Maria.

Cælibatus donū impetratur precibus.

*Idem de adulterinis coniugijs, Cap. 15.*



Ed ea que in his talia sunt, vt quauis sint licita, non expédiant: non in eis dici potest, bonū est hoc, sed illud melius, sicut dictum est, Qui dat nuptum, bene facit, & qui non dat nuptū, melius facit: Ibi enim vtrunq; licet, & hoc aliquando, aliquando illud expedit. Nam illis qui se non continent, vtique expedit nubere, & quod licet, expedit. Quæ autē vouerint continentiam, nec licet, nec expedit.

Quid ad hæc Bucerus?

*Hieronymus contra Iouinianum, Lib. 1.*

Sed & ipsa Episcopalis electio mecum facit. Non enim dicit, eligatur Episcopus, qui vnā ducat vxorem, & filios faciat: sed qui vnā habuerit vxorem, et filios in omni subditos disciplina. Certè confiteris nõ posse esse Episcopū, qui in Episcopatu filios faciat: Alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter dānabitur: Aut permittite sacerdotibus exercere opera nuptiarū, vt idem sint virgines, quod mariti: aut si sacerdotibus non licet vxores tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum: Si laicus

Diluat Bucerus hæc in suo teste Hieronymo.



laicus & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali: sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab vxoribus separati, & vinum & ficeram non bibebant, quæ solent libidinem prouocare: Eliguntur mariti in sacerdotium, non nego, quia non sunt tanti virgines, quanti necessarii sunt sacerdotes. Nunquid quia in exercitu fortissimus quisque eligendus est, idcirco non assumuntur & infirmiores, cum omnes fortes esse non possint? Si exercitus viribus tantum constaret, & non etiam numero militum, abiicerentur imbecilliores: Nunc & secundarum & tertiarum virium gradus assumitur, ut turba & numero, exercitus compleatur.

*Idem in Apologia contra Iouinianum.*



**L**igitur ut dicere cœperamus, Christus virgo, virgo Maria, vtriusque sexus virginitatem dedicauere: Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes, Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici.

Aut detrahat Hieronymi elogio Bucer, aut concedat doctrinæ.

*Basiliius de vera virginitate, interprete Ambrosio*

*Carmaldulense.*

**N**on se fallat\* qui à virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexit. Coniugium quippe illi in  
K iiii peccatū